nibus exponit. Respondit Rex: ita demum postulata Galeatii sibi placere, si is vires & opes regni adversùs Germanorum Cæsarum vim, & tyrannidem armis opposuerit, Robertoque pareat. Recusavit conditiones Galeatius, respondítque, se prius millies moriturum, & quodcumque durum atque intollerandum subiturum, quàm jusjurandum violet, quod Imperiali Aquilæ præstitit. Itaque cùm parum æqua peteret Robertus, nulla compositio inter Pontificem & Vicecomites facta est. Dum hæc geruntur, Canonicus, Vercellensis genere, qui vasa, & pretiosas gemmas, margaritas, & cetera fani sacratissimi de Moguntia, peregrinorum, & popularium libidini eripuerat, dum sacraria diriperent, ut ea prædæ subtraherentur in penitissimam ædium partem occultaverat, gravi & periculoso morbo temptatus Aicardo Archiepiscopo, ubi nam thesaurus abditus foret, aperuit. Res statim Beltrando exponitur. Mittuntur itaque nuncii, qui communicata re cum sacrilegis, & patriæ proditoribus, noctu thesauros arreptos Placentiam statim transportaverunt. Pretiosa erant omnia. Ita Avenionem ad Pontificem deportantur. Pontifex, Sacerdotum, qui ad nostram memoriam ea ætate opulentissimus erat, illa intacta voluit. Ita numerus, nomina generatim in tabulas redacta, ne subripi possent, Longobardorum Sacerdotibus, & inprimis Moguntiaco, asservata traduntur, quæ postea reconciliato Pontifice, Johannes Archiepiscopus rerum dominus in ædem reportari voluit. Interea Galeatius recogitaverat quantum detrimentosa conjuratio & rebellio Moguntiacorum Genti Vicecomitum detrimenti attulisset, & per eos non stetisset, quin Mediolanensibus, & principibus debellatis, ad occidionem deserta patria perpetuò obnoxia fere servirent, tectaque ipsa solo æquarentur, cum primoribus Populi, & factionis suæ popularibus consilium iniit de evertenda Moguntia, ut abductis in captivitatem colonis, ita subverteretur, ut neque lapis supra lapidem remaneret. Hæc & talia sæpe animo cogitanti, & in excidium Oppidi gravia revolventi, per quietem, ut ferunt, astare visus est Johannes cognomento Baptista, qui diceret: numquam Galeaci Moguntiam expugnabis, & in imperium tuum rediges, nisi sententiam mutaveris. Num quid putas me reliquisse, ac deseruisse populum, & si multa adversùs Deum, & homines commiserint, ut domo pulsi terram incultam relinquant, ubi tantum temporis summe, & religiose color? In mea est tutela: Patronus sum. Quod si, ut dixi, sententiam mutaveris, eam in potestatem tuam ego tradam. Mane cùm expergefactus surrexisset, nihili admonitionem & præcepta Johannis fecit: Iterum per somnum eadem effigies repræsentatur, quæ & graviora multo asperius minitabatur. Tunc recordatus eorum, quæ audire visus fuit, sententiam mutat, constituit divinis admonitionibus parêre, & Oppidum civili dissensione, & externo bello pene desolatum, atque in nihilum redactum, si eo potitus foret, quantum in se esset, accersitis exulibus, in pristinum statum restituere, & sanare statuit. Hinc quarto post die legati ad pacifcendam deditionem ad Galeatium veniunt. Per eos dies quidam ex iis, quos legatus miserat, prodente per dolum & insidias infimo homine, Laudem Pompejam interceperunt. Laudensis piscator retibus & lintro victum

A quæritans, navicula discurrens, atque inter vepres latitans, clam civibus, murum Urbis pluribus diebus perfodit, atque noctu Guelfum exulem, & præfectum quemdam Guasconum nomine cum trecentis delectis militibus accepit, cæsisque custodibus, partem Urbis tenuit; eo autem consilio, ut si Laude potitus foret, spretis conditionibus, bellum renovaretur. Oppidani oborto tumultu statim arma arripiunt, ad mœnia concurrunt, eosque interficiunt, qui intraverant; at qui extra constiterant, cæde suorum cognita per transversa protinus aufugiunt. Præfectus præsidii, & complures proditionis conscii capiuntur; hi per tormenta & cruciatum, quibus auctoribus

B fraus perpetrata foret, aperiunt. Tunc Legatus, quum in irritum ferè ea caderent, quæcumque sive clam, & sive palam adversùs Vicecomites moliretur, Moguntiam Galeatio tradi mandavit. Receptâ Moguntiâ peregrinum omne præsidium, ut convenerat, sine fraude Vicecomes abire permisit, & ne quidquam intra fines mali acciperent, eos tutò trans Abduam usque deduxit. Præficitur Oppido cum præsidio Brixianus quidam, moxque palam edicitur, ut quicumque exules essent, in Urbem redirent, atque ex æquo tam Guelfo, quàm Gibellino jura redderentur, reconciliareturque gratia sub abolitione anteactarum injuriarum; quin omnes sine discrimine, honore,

C commodis, & dignitatibus, ut ante, quàm per discordiam aliter constituisset, participaturos esse declaravit. Ita complures injuriarum obliti, in signum concordiæ & pacis, se invicem exosculantur, & ferè cultoribus vacua atque deserta frequentari cœpit. Ceterùm Galeatius haud ita multis post diebus, admonuit eos, qui tœdio bellorum civilium, & metu barbarorum paullo longius à patria complures secesserant, multi etiam mercaturæ gratia Venetias demigraverant, alii per Urbes & Oppida Longobardorum vagabantur: eos omnes precibus, alios minis, tum magna promittendo, in patriam reverti coëgit. Conflaverant plerique æs alienum, neque creditoribus, fortè per inopiam, neque usuras

D dependere valebant: hos per novas tabulas à nexu, & fœnore liberavit, ne posthac fœnebris pecunia repeteretur, aut de usuris quisquam jus diceret: & si quid maleficii inter civilia arma sibi invicem populares intulissent, id omne remitti, & condonari voluit. Ita quum jura æqualiter & humane sub æquo Principe redderentur, res in Oppido quietæ erant. Interim Galeatius arcem in ea regione, quæ Lambrum propius attingit, ædificari instituit, quam fossa, & muro validissimo communivit, turres, & carceres tetros & horrendos in turribus inædificat, quos furnos appellarunt. Magnitudine operis multi Moguntiam

E accurrêre. Adhuc discordes erant Mediolani, dissidentes nondum bona fide gratia conciliata: externi præterea Reges nobis imminent, obmurmurantes dixere: Profectò, utinam falsa rebus ominaremur, in custodiam & damnum suum arcem & carcerem, sibi & suis Galeacius extruit. Ceterùm eo, quo cœpit in anno opus magnificum & amplum, non sine tam privatorum, quàm publica impensa absolvit. Et hic finis belli, quod Moguntiacum, de nomine Oppidi, ad quod diutius victoria vertebatur, & vires utriusque Factionis decertarunt, appellatum fuit. Per idem tempus Johannes Pontifex ægre ferens totiens exercitus